



1. Nagel: De vitio primarum piarum morbisque ad id oriendi 1761
2. Nenter: De vesicatorum cura 1704.
3. Nenter: De lumbricis rheumatica 1704.
4. Neubaur: De lue venerea etc. 1706
5. Neubaur: De bile 1750
6. Neubaur: Colicae hystericae parus 1769.
7. Neubaur: De sterilitate ubi usque perus 1726.
8. Nicolai: Theoria pancri 1795. *Tena!*
9. Nicolai: De directione parorum 1725.
10. Niemant: De putrefactione 1756
11. Nieremberger: De dysenteria 1779
12. Notinger: De arteriotomia 1777
13. Nonnenmann: De hernia congenita 1771
14. Nonnenmann: Apoplexia ex nimio animi contentione. *curat. 1771*
15. Nordmann: De ichthuria gravidarum. 1758.
16. Notter: De actione mercurii in corpus hum. 1779.
17. Notter: De purgatione sanguinis per penet. 1614
18. Nurche: De usu & abusu balnearum domest. 1740.

Faint, illegible handwriting on aged paper, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several horizontal lines across the page.



B. C. D.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS

COLICÆ HYSTERICÆ
CASUM
CUM SUA EPICRISI

QUAM

GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS
JUSSU

PRO LICENTIA

*SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
SUSCIPIENDI*

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIET

DIE IX. MARTII MDCCLXIX.

FRANCISCUS ALEXANDER NEUHAUS
BIENNA - HELVETUS.

H. L. Q. C.



ARGENTORATI

Excudebat JOH. HENRICUS HEITZ Universitatis Typogr.



Prooemium.



Ægritudo, quæ humano generi infestæ esse solent, duo potissimum genera sunt, quæ a durationis tempore a se invicem distinguimus. Altera quippe classis illos complectitur morbos, qui cito, paucarum septimanarum, sive quodque dierum intervallo vel ad sanitatem vel ad mortem terminantur; altera vero illos, sub quorum præsentia, (ut CELSUS ait) neque sanitas in propinquo, neque exitium est; illos *acutos* vocant, hos vero *chronicos*. Prout autem non solum duratione, sed ipsa natura toto cœlo differunt hæc morborum genera, ita & ipsi tam chronici quam acuti differentissimas inter se alunt species. Attamen in eo conveniunt fere omnes, quos *chronicos* nominamus, quod lente paulatim increscat morbifica causa, insidias suas tuto struat, perfectoque demum opere functionum tenorem perturbet, naturæque vires præ-

sternat, nec prius quam desperatis fere rebus contra hostem ab ægris quæritur auxilium. Et quid mirum, tam parum sæpe proficere Medicum, dum contra hos morbos pugnat? quamvis enim haud ita præceptis hic occasio sit, pateatque fere temporis satis deliberationi atque remediorum mutationi, latet tamen alte plerumque morbi causa, ex rudiorum hominum inconditis ad quæsitæ responsis vix expiscanda; & quod præcipuum est, prostrata vitæ vis, sine qua nil possunt valentissima quæque remedia, horum vim omnem eludere solet. Est igitur operæ pretium, ut, prouti felici hoc seculo a maximis fere Viris inceptum est, ita eorum tramites legendo pergamus istos diligenter potissimum morbos notare, in quibus laboriose insudando felicem tandem successum nacti sunt Medici. Hoc est, quod agere mecum constitui, cum ex Universitatis legibus aliquid scriptum edere teneat; publicum scilicet reddere, tironisque viribus examinare casum, quem ex multis istis selegi, quos continuo exhibet instructissimum Argentinæ Nosocomium. Ejus facta mihi copia est à Viro Excellentissimo Dn. EHRMANNO, Med. Doctore ac Professore hujus Universitatis Extraord. quem in hoc Nosocomio clinicam Praxin docentem, à sex circiter mensibus Præceptorem veneror. Accipe igitur L. B. tenuem opellam, quam in lucem emitto, ea scilicet lactatus spe, fore ut indulgentes sint iudices, qui legant, memoresque illius LUCILII effati, qui ea quæ scriberet neque ab indoctissimis, neque à doctissimis legi se velle dicere solebat, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus quam ipse.

HISTORIA MORBI.

Rustica cælebs XXVIII. annorum late valens ad annum usque vigesimum primum, catameniorum fluxum impune ignoravit, qui deinde emmenagogis heroicis, omni cujuscunque suavis temere adhibitis provocatus, nimis parvus apparuit & dolorificus, certis nunquam respondit periodis, sed exi-

gua tantum præsentia vestigia prodidit modo, modo prorsus emanfit, dolores vero atque cruciatus intensissimos exinde sensit ægrota. Reiteratis sæpe insultibus reversus est hicce dolorum accessus, per sex annorum intervallum, donec illa eodem denuo correpta in Xenodochium Civitatis Argentoratensis pervenerit; ibidem examinata, de doloribus capitis, dorsi & hypochondriorum horrendis, à spasms infimi ventris ortum suum ducentibus conquerebatur, flatibus & borborygmis simul ex abdomine tenso & duro admodum vexata, qui remittentibus aliquantum doloribus cum vomitu cruento ex suis carceribus erumpent; pulsus erat febrilis, plenus durusque, insomnia inquieta, habitus totius corporis cachecticus; denique sub ipsius exacerbationis accessu pituitosi quid ex vagina prodibat.

Rebus ita dispositis efficaciora remedia fuere in usum vocata; primo omnium, ad imminuendam plethoram, sopiendos spasmos, venæsectio in brachio fuit instituta, & quarto quovis die per satis insigne tempus (prout symptomata urgebant) in pede repetita; Clyster emolliens deinde ad referandas alvi obstructions ex lacte & lini oleo, quater aliquando de die injectus fuit; interne autem Liquor anodynus m. Hoffmanni cum Oleo Cajapoet una cum Thea ex Chamomilla, Malva & Verbasco, per Syrupum Papaveris albi edulcorata fuerunt exhibita; porro Mixtura ex anima Rhabarbari, Syrupo de Althea Fernellii, Violarum, Liquore terræ foliatæ Tartari, Oleo Amygdalarum dulcium, præscripta fuit cochleatim repetitis haustibus sumenda; imminuebantur inde motus convulsivi, qui tamen die insequente denuo recrudescebant, hinc lene laxans ex Sale Lotharing. & Sero Lactis tamarindinato cum Syrupo Violar. exhibebatur, continuato interim Clysmatum & Mixturæ usu; his parum proficientibus recurrebat vomitus, cujus sedandi ergo regioni epigastricæ linteam Spiritu Vini Camph. madidum applicitum fuit, egregio fructu, leniebantur enim inde dolores & tensiones remittebant; in totum autem cum solvi nollet morbus, Balnea tepida tandem fuerunt in auxilium vocata, at

frustra, dolorum equidem quodammodo ægrota percepit levamen, quamdiu in illis immerſa ſedebat, vix autem rursus exiſtis egrediebatur, quin recurrentia priſtina ſymptomata omnem ab hujus remedii uſu conceptam recuperandæ ſanitatis ſpem denuo præſcindebant; a balneis igitur miſera redux in Noſodochium iterum ſuſcepta fuit, iſdem ac antea malis miſerandum in modum excruciatæ; ad mitiganda urgentia ſymptomata ſequens illi compoſitio exhibita fuit, quæ ex anima Rhei, Syſtupo de Althea, Pap. Rhœados & Oleo Amygdalarum conſtabat; laudabilis licet ejus effectus exſpectationi tamen noſtræ non fecit ſatis, hinc Opii uſus tandem fuit tentatus, dabatur ejus extractum aquoſum cum Pulvere antiſpaſmedico, inſtituta prius venæſectione, verum & hoc remedium, multum alias celebratum, hic nihil profecit, quamvis enim inde quædam excitatur ſpecies ſomni, nil tamen ex ea boni potuit exſpectari, talis quippe erat, quæ animum proſterneret magis, quam reficeret horrendis imaginibus ſuis. Ab illo remediorum genere tranſivimus ad aliud, quod maxime noſtris reſpondit votis, ad reſolventia ſcilicet efficaciora; hoc ſcopo exhibebantur Pilulæ compoſitæ ex Gummi Ammon. dep. Sapone officinali, Millepedibus præparatis, Squilla pta. & Aro; poſt harum ſatis diu continuatum uſum, materiam inde attenuatam & mobilem factam per lene laxans è corpore evacuare è re noſtra eſſe putavimus; ſatis bene per aliquot tempus ſe habebat ægrota; mox vero, cum circa cordis ſcrobiculum dolorem quandam ſe percipere conquereretur, vomitu violento ſubito correpta, materiam atram ſanguini grumoso haud abſimilem rejecit; venæſectione illico reverſurum forte vomitum cruentum eſſe præcavendum ſumus arbitrati, quare larga ex pede ſanguinis quantitas miſſa fuit; ab iſto tempore Pilulæ, quæ ex Maſſ. Pilular. Beccheri & Maſſ. Pil. Martial. Sydenh. compoſitæ erant, in priorum locum ſubſtituebantur, quibus per aliquot ſeptimanas cum uſa fuerit, indeque ſat bene valuerit, valedixit Noſocomio, ſicque inſimul obſervationi noſtræ (quippe deest ulterior facti cognitio) otium fecit.

§. I.

Grave fatis tormentum est illud valetudinis genus, cujus symptomata referebat morbus, quem hactenus delineavimus; Colica scilicet, quo nomine, si strictiorem consideres etymologiam, crassi intestini dolorem, si laxius sumas, totius tubæ intestinalis cruciatum, quo sensu & nobis omnique Medicorum cœtui venire solet, si laxissime, cujuscunque abdominalis visceris affectionem dolorificam indicant a). Quæ autem intestina afficiunt, multiplicis fatis sunt generis, ita ut sive in eorum cavo, sive extra, sive in membranis veræ colicæ causam hæerere commode statuere possis b). Inde varæ colicarum secundum causarum multitudinem species surgunt, inter quas nostræ præcipue considerationis est *sanguinea*, eique adnumerandus hicce morbus, de cujus natura, fede, signis atque curatione pauca dicenda habemus.

§. II.

Ultero quidem, si ejus naturam rimari velis, patebit ad hystericam affectionem, quæ Prothei ad instar nullius non morbi speciem inducere solet, pertinere morbum nostrum, cum ex utero proxima ejus causa sine dubio advenerit. Tristes ejus in virginibus præcipue effectus graphice jam describit medicæ artis Parens HIPPOCRATES c), dum "his autem ita se habentibus, inquit, præ acuta quidem inflammatione insanit . . . præ caliginositate autem timet ac formidat; præ compressione autem circa cor strangulationes parat . . . Vulva, inquit:

a) De ista confusione merito conqueritur III. SAUVAGES *Nosol. Method.* Tom. III. Part. I. p. 141. eoque abusu nihil in scientia medica perniciosius esse, contendit. Fatendum tamen, vix sperari posse ut tollatur, cum nec doloris regio aliquid certi hic indicet, nec raro plura viscera simul doleant.

b) v. Cl. OSTERDYKSCHACHT *Instit. Med. Pract.* L. VII. C. IX. §. 11.

c) In Libro de *Morb. Virg.* Sect. II, T. II, Edit. VAN DER LINDEN pag. 357.

„**ARETÆUS d)**, si repente superiora petierit e), ac diutius ibi
 „commoretur, visceribusque violenter incumbat, interdum
 „homo veluti comitali morbo correpta citra nervorum disten-
 „siones strangulatur. . . .” Eleganter sane, nec minus vere
 „hunc morbum describit Cel. LOMMIUS f), dum “haud leve,
 „inquit, vitium est ab utero factus strangulatus, qui Græcis
 „*πυλὴ υσέρημι* vocatur. Eo incipiente nausea multa fit, fereque
 „sine vomitu: sequitur cibi fastidium, cum ventris quodam
 „rugitu, tamen hic iste non semper comitatur, posthæc inci-
 „pit esse difficilis spiritus, creber ac brevis: idemque post pau-
 „lum ita arctatur, ut veluti vinculo præstrictæ fauces videan-
 „tur, magno metu præfocationis: inter quæ leviter anima de-
 „siccit, ex qua tamen re vix pulsus immutatur. Tandem vero
 „incipit affici caput, mentis sedes, quæ tum iracundia, tum
 „metu, similibusque passionibus turbatur.” Hæc quidem fa-
 „talis experientia satis communia ad nostros usque dies testatur,
 „ut nullus sit Medicorum, cui non quotidiana praxi innotue-
 „runt. Rariora sunt, nec tamen nulla hujus morbi schemata,
 „ubi ad alias partes delata morbifica materia pro harum natura
 „variisque functionibus insolita excitavit symptomata aliosque
 „mentita est morbos. Sufficiat hic magni Angliæ quondam Me-
 „dici III. SYDENHAMI g) verba referre, quibus hæc abunde pro-
 „bantur. “Hi vapores, inquit, seu convulsiones hæc, ubi hanc
 „illamve corporis regionem invaserint, pariunt symptomata,
 „ei, quam invasere, parti accommoda . . . ex. gr. nonnun-
 „quam renum alterum vehementissimo dolore afficit, unde vo-
 „mitus immanis atque etiam per ureteris ductum sæpe delatus,
 „*calculus* simulat . . . Vidi insuper & symptomata ab eodem
 „prognata, quæ vesicæ *calculus* omnino referebant,” hujus-
 que

d) De *Causis & Signis acut. Morb.* L. II. C. XI.

e) Ascendere enim in hoc affectu uterum veterum erat hypothesis, quæ nostris hucusque diebus inter plebem viget.

f) *Observ. Medic.* Lib. II. C. de uterino strangulatu.

g) *Observ. Med.* Sect. IV. C. VII. p. 214. Opp. omn. edit. Lugd. Bat.

que rei addit exemplum *b*). Quæ si rite perpendimus, planum omnino fiet, delatam ad intestina morbi causam, colicæ sistere speciem, quam apposite satis cum Ill. HOFFMANNO *i*) *hystericam* appellaveris, eoque nomine morbum, ejus historiam dedi, insigniendum esse duco, quamvis cum Ill. SYDENHAMI colica hysterica symptomatibus suis non satis conveniat *k*). An *hysteralgia a menostasia* Ill. SAUVAGES *l*)? dijudicent eruditi.

§. III.

Cum affectus hysterici proxima causa satis verisimili conjectura in turbato sanguinis per uterum motu posita sit, juvat, ut morbi nostri symptomata rimari eo accuratius queamus, pauca de istius visceris structura atque natura enarrare, quæ ad propositum nostrum apprime faciunt; plenam tamen, & ut vocant anatomicam ejus historiam, cave a nobis expectes B. L. Uterus, miraculum æque naturæ, ac sexcentorum malorum in sequiori sexu causa, in pelvis cavitate positus, multisque retinaculis in eo situ firmatus vasorum distributionem habet, satis ab illa reliquorum viscerum diversam. Arteriæ hypogastricarum sunt propagines, in ipsa uteri spongiosa muscularique substantia serpentine distributæ, divisæ, cum feminalium

B

b) "Non ita diu est, inquit, à quo noctu excitabar, ut Comitiffæ mihi vicinæ dolore in vesicæ regione admodum violento & urinæ suppressione derepente correptæ confulerem: Cum ego illam affectibus hysterice variis obnoxiam certo scirem, atque ex ista augurerer, non isto eam, quem putabat, laborare morbo, Enemata quæ parabat ancilla injici non patiebar, ne ab iis cresceret morbus: at horum loco . . . narcoticum exhibui, quod symptoma illud subito compefcuit."

i) *Med. Rat. Syst.* Tom. III. Sect. I. Cap. III. p. 47. §. XXXI.

k) Præcipuum hujus symptoma est, quod viridescentes humores vomitu rejiciantur, de quo in morbo nostro nihil apparuit. vid. de hoc morbi genere Ill. SAUVAGES *l. c.* p. 140.

l) *l. c.* p. 180.

ramis pluribus conjunctæ, usque dum non minimis furculis, quorum ostia patula sunt, in ipsam uteri cavitatem hient. Venæ in universum arteriis similes sunt. "Arteriæ porro uteri, inquit Ill. HALLERUS *m*), "peramplæ sunt & majores, quam in viris & majorem earum lumen ad suas membranas rationem habet: venæ porro pro portione minus latæ, quam in viris, & eædem denique firmiores quam alibi in corpore humano." Ita fabricatum viscus satque valida gaudens vitali vi, quod plurima arguunt phænomena, non solum eximie distensionis aptum est, dum graviditate prægnat, sed in puella viro maturatione peculiaris in eo contingit secundum naturam excretionem, sine qua nullo modo stare potest sanitas, *menstruam evacuationem* vocant. Non est, cur varias Auctorum sententias de propria hac humano generi excretionem afferamus, quippe quod extra nostrum propositum abduceret nos. Sufficiat ad scopum nostrum, adnotasse, in virginibus nubilibus fœminisque ad certam usque ætatem sanguinis quandam copiam dato tempore, quod lunarem plerumque mensem implet, per vasorum uteri *n*) patula ostia a reliqua humorum massa decedere, è corpore ferri; qua ablata clauduntur uterini hiatus, aperiunturque rursus ubi evacuandi sanguinis necessitas redit. Hæc eo facilius feliciusque succedunt, quo magis debita solidorum compage, iustaque sanguinis erasi gaudet puella, licet & in ipsa evacuationis duratione atque copia multam varietatem admittat sanitatis latitudo.

§. IV.

Hæc quidem ubi ordine procedunt, sanam arguunt fœminam. Sed multiplex est error, quem pati solet hæcce excretio. Sæpe enim jugi fluxu ita pergere solet, ut fœminam ex-

m) *Prim. Lin. Physiol.* §. DCCCXIII.

n) An per uterum, an potius per vaginam efferatur menstrua purgatio? acriter inter Auctores disputatum est. Conveniunt, quantum sciam, hodie Physiologi, per uterum æque ac appositum canalem ferri hanc excretionem.

hauriat, vires prostrernat, vitæ periculum minetur. Sæpe sup-
 primitur sive subito, jamjam fluens, sive non redit statò tem-
 pore, quòd ubi extra graviditatem citraque senectutem con-
 tingit, ferax malorum phænomenon est. Sæpe fuit quidem,
 tanta autem cum difficultate, ut vix evacuationem appellave-
 ris. Sæpe in totum ea deficitur puella, licet viro matura sit,
 quod chloroticam inducere solet valetudinem; rara enim est
 observatio foeminarum, quæ hac emanente vegete valeant o).
 Sæpe ad aliã defertur colatoria, perque ista e corpore elimina-
 tur p). Sæpe ad nobile quoddam viscus metastatice decum-
 bit illudque graviter afficere solet. Hisce turbis non potest
 non exagitari nervorum compages, cui peculiaris cum utero
 consensus est, atque dolere pars quæ afficitur, tandemque ubi
 sensilissimum factum est nervorum genus, alienari mens, spi-
 rituumque officina; unde quæ supra §. II. descripsimus sym-
 ptomata prone defluunt alveo.

§. V.

Mittimus quidem dicere de reliquis in menstruo fluxu er-
 roribus, illosque solos rimabimur, quibus laboravit ægrotæ
 nostra, quique dira illa pepererunt symptomata, quorum men-
 tionem fecimus, primo scilicet totalem fluxus emanationem,
 parciolem deinde eorum dolorificumque fluxum, atque mate-
 riæ ad intestina exinde decubitus. De istis quidem confor-
 mationis, ut vocant, vitis, quæ mechanico modo effluxui
 sanguinis menstrui resistere solent, hic non dicam q); alia sunt

B 2

- o) Exempla passim leguntur. vid. Cl. KLEIN Interpres Clin. p. 180.
 Relatum memini aliud ab Ill. SPIELMANNO, Præceptore atque
 Fautore æternum colendo, de foemina sana nunquam menstruata,
 numerosæ tamen prolis matre.
- p) Ex oculis fluere vidit DODONÆUS *Observ.* Cap. 15. ex alveolo
 dentis ROSSÆUS de *hominis primordiis* Cap. 28. ex mammarum
 papillis AMAT. LUSIT. *Cent. II. Cur* 21. ex Umbilico NICOL.
 FLORENT. *Serm. II. Cap. III.* plura conferre superfedeo.
- q) Quo scilicet referas uteri coalitum, hymen clausum, aliaque.

obſtacula, quæ vel in ſolidis potiſſimumque ipſa ſive uteri
 flaccidiori ſubſtantia, ſive in arteriis, quæ fontem huius eva-
 cuationis efficere ſolent, vel in peccante fluidorum craſi po-
 nenda ſunt, quæ concurrere ſæpe atque omnino in ruſtica no-
 ſtra concurriffe, ut menſium emanſionem effecerint, probabili
 conjectura aſſequimur. Quodſi enim durum quod vivere ſo-
 lent pauperiores præſertim ruricolæ vitæ genus perpendimus,
 cum in rerum, quas non naturales vocant, uſu quotidianos
 peccent errores, nulli mirabimur ſolida, interque ea arterias
 uteri in ægra noſtra rigiditate laboraſſe inſigni, ſanguinem
 omnium noſtrorum humorum fontem inertia mucôſa fuiſſe in-
 ſectum, hinc cruor minori impetu in reſiſtentes nimis arterias
 pulſa, ab his ulterius promoveri neſcius ſtagnabat; uteri ipſius
 debilitas vaſorum favebat obſtructioni, hinc natura ad ſuſci-
 piendam eam excretionem impoſ omnino erat. Poſtquam au-
 tem fortioribus emmenagogis, de quorum abuſu plura diſſere-
 re infra dabitur occaſio, ſanguinis motus auctus, ad abdominis
 viſcera utrumque, debiliorem ſcil. partem determinatus fuerat,
 vicit ille quidem aliquatenus clauſorum oſtiolorum reſiſtentiam,
 nec tamen ſublata ſimul humorum maſſæ tenacitas; his igitur re-
 pleatæ abdominis arteriæ, contractili vi non ſatis gaudentes turge-
 bant maximopere, ſanguiniſque ſic circulus in toto vaſorum in-
 ſimi ventris ſyſtemate turbatus atque ſuſſlaminatus eſt. His autem
 ita ſtantibus, dum redibant naturæ ad pellendum ſanguinem
 menſtruum molimina, prodibat quidem, pro ratione lentæ
 humorum tenacitatis, aliqua ſanguinis copia, ſed qualis infe-
 cto fonte eſſe poterat, tenuiori ejus parte quoque mucô in-
 ſpiſſata, arteriarum cæterum imminuta irritabilitate, juſto de-
 bilius contractæ iſtæ ſanguinem in inteſtiniſ decinebant, his
 agitati nervi, excitatiſque periodici illi dolores colici, de quibus
 conqueſta fuit ruſtica noſtra.

§. VI.

Ut morborum indoles eo accuratius eruatur, plurimum

conferre analogorum casuum historias, apud omnes Medicos in confesso est; rara quidem, non tamen plane nulla, in Medicorum fastis affectus nostri reperiuntur exempla, & hæc quidem, prouti naturæ temperamentorumque fert varietas à nostro casu æque ac inter se aliquantum diversa. Itaque & horum nonnulla Lectori ob oculos ponere, cumque eo comparare ad rem facere visum est: Injicit scilicet Colicæ hysteriæ mentionem FEL. PLATERUS *r*), Basileensis quondam Medicus: "Virgo nobilis trigesima major", inquit, "macilenta, candida, sæpe ventriculi doloribus, quos cordis vocant, infestari solita, & doloribus lumborum mensium instantium tempore, mense Februario a 1598. cum alteri ægrotæ Virgini adesset, quæ morbo subitaneo extincta fuit, perterrefacta . . . in morbum incidit, quo appetitus prostratus, corpusque admodum debilitari consumique cœpit." Hæc postquam Auctoris curæ se se commiserat, doloribus ventris aliisque hysteriæ symptomatibus aliquot annos vexata tandem tamen convaluit. Plures legimus in NATURÆ CURIOSORUM EPHEMERIDIBUS hysteriæ affectionis effectus, interque eos Colicarum quoque exempla *s*): "Fœmina temperamenti cholericæ a partu difficili infantis grandiusculi incidit in immanem dolorem, regionem ventriculi & paulo inferiorem occupantem, quem vomitiones sequebantur enormes, nunc viridis materiæ, nunc flavæ. His accesserunt appetitus dejectio, omniumque assumtorum continua vomitio, vigiliæ, alvi adstrictio, imo neque vel una aliqua pars corporis ab hujus mali insultibus penitus eximiebatur, sive interna sive externa fuerit, ut sunt fauces, coxæ, crura, dorsum, brachia, renum præsertim regio, in quibus omnibus circa noctem dolorem sentiebat intolerabilem, ut fere animo linqueretur." Singularis est Colicæ hysteriæ

B 3

r) *Observ. med.* Lib. 1. p. 130.

s) Auctorem hæc Observatio habet Cl. JÆGERSCHMID Dec. III. A. III. Obs. 103. p. 134.

observatio, cum intermisso luminis usu conjuncta, quam eodem in opere evulgavit Cl. LENTILIUS t). Nec minus animadversione digna hæc Cl. MICHELOTTI u): "Virgo judæa
 „ 22 annos nata in morbum incidit suppressæ ex tristibus ani-
 „ mi affectionibus menstruæ purgationis: inde primum angri-
 „ na, tum interposito aliquo tempore rheumatismo, deinde si-
 „ nistri lateris dolore per hyemem correpta . . . curatur: re-
 „ mansit vitium mensium suppressionis, cum vehementi ventris
 „ intensione atque crebro difficilique spiritu." Nec in integrum
 restitui potuit. Digna porro est, quæ huc referatur Cl. FO-
 RELLI x) historia: "Virgo 19 annorum . . . leucophlegmati-
 „ ca . . . non solum de anxietate & præcordiorum nonnun-
 „ quam pressione, verum etiam de totius corporis lassitudine &
 „ viribus languentibus crebro conqueritur: quibus dolores in
 „ infimo ventre junguntur atroces, a leviori duntaxat digiti at-
 „ tactu vel corporis erectione abdomen convellitur, ac paulo post
 „ ægra in lypothymias incidit, quas motus convulsi præfso ex-
 „ cipiunt pede. Mensium fluxum nec dum experta est; triennium
 „ autem est, & quod excurrit, quo semel ex utero humorem ejecit
 „ pituitosum." Similes tandem observationes referunt RIVERIUS
 z), BINNINGER a), alique forte observatores. Longum enim
 nimis tædiosumque fore judicavi, curiose omnia corradere,
 quæ aliqua similitudinis specie cum casu nostro conveniunt.
 Sufficiunt scilicet hæc, ut elucescat, hysterici morbi materiem,
 ubi adest, ad viscera quæ chylum perficiunt, depositam, Co-
 licæ inducere speciem. Nec aliis fere momentis a nostro diffe-
 runt, quos recensuimus, morbi, quam remotis causis sym-
 ptomatatumque in nervis excitatorum, majore minoreve inten-
 sitate.

t) Dec. III. A. VII. & VIII. *App. ad Observ. L.* p. 130.

u) *Act. Phys. Med.* Vol. II, Obs. XXVI, p. 53. seq.

x) *Commerc. Lit.* Nov. A. 1745. Hebd. XL. p. 113.

z) *Obs. Cent. IV.* Obs. 85.

a) *Obs. Cent. III.* Obs. 52.

S. VII.

Hæc igitur si inter se contulerimus, liquidum fiet, proximam morbi nostri causam in mucosa sanguinis dyscrasia, arteriarum rigiditate viscerumque abdominalium infarctu fuisse positam. Proximum est, ut in nocentes potentias, quarum vi ista fuerunt producta paulo altius inquiremus. Bina hic video, quæ ponderanda mihi veniunt momenta, mensium scilicet primo sine notabili incommodo emanationem; inductos deinde medicamenti dolores colicos. Prioris quidem vitii causas partim hæreditarias, partim adventitias fuisse crediderim. Ejus nimirum farinæ homines, ex quibus prognata fuit puella nostra, solidorum rigiditate fluidorumque inertia satis frequenter laborare, inque miseram prolem eas transferre solent; adde, quod mensium tarditas quibusdam ita hæreditaria sit, ut a matre in filiam per plures descendat generationes, nullo alio accedente, neque solidorum neque sanguinis vitio. Adventitiæ vero morbi causæ in earum rerum, quas non naturales vocare consueverunt Medici, quotidiano abusu solo quærendæ sunt. Quid enim rusticæ genti familiarius, quam omnes ferre æris injurias, frequenter ex calida atmosphæra in frigidam subito transire, alimentis uti dyspeptis, pultaceis, farinaceis, fructibus immaturis, leguminibus, carne suilla *b*), aquam eamque frigidam affatim haurire, atque solam pro potu habere, corpus modo nimis movere, modo diuturniori tradere quieti, in somno & vigiliis nullum habere modum, hinc nulla in excretis atque retentis justa proportio, aliaque innumera mala; nec stare potest positis hisce justa sanguinis mixtio, solidorumque robur. Hæc quamvis per se aperta sint, lubet tamen eorum, quæ maxime in nostro casu effecisse videntur, ciborum scilicet tenacium frigidique potus effectus noxios, magnorum Virorum testimoniis confirmare: "Viscidum in cibis abundans," inquit

b) Hujus usu transpirationem una tertia parte imminui, habet SANTORNIUS.

III GAUBIUS c), "sicubi valido Naturæ robore non subigitur,
 „chylum producit nimis glutinosum & quæ inde porro sequun-
 „tur, pulmonum oppletio . . . generis nervosi languor, tor-
 „por vis vitalis . . ." alioque loco d) "Chylum," dicit,
 „nimis glutinosum creant farinacea cruda, pultacea, frigida,
 „tenacia, gelatinosa, pinguia diu multumque ingesta, defectu
 „aut inertia liquorum digerentium, imminutis viribus coëtrici-
 „bus . . . non rite subacta. Ex quo vitio prostratus appeti-
 „tus . . . mesenterii obstructions, mucæ in omnibus humo-
 „ribus abundantia, & qui hinc profluunt effectus nascuntur".
 "Ciborum major tenacitas", ita loquitur Ill. VAN SWIETEN e),
 „quam ut a viribus permutantibus corporis superari possit,
 „frequens morborum chronicorum causa est. . . Idem de po-
 „tu verum, etiam salubris aquæ, si majori copia ingurgitatur
 „simul & semel a sticuloso & laboribus validis fesso, vel etiam
 „a febre æstuante homine". Potus frigidioris noxas ita enun-
 „ciat Ill. GAUBIUS f): "Immodice frigentia cum partes inter-
 „nas calore nativo jugiter fotas, contingunt, fibras earum ir-
 „ritando, poros stringendo, vasa arctando, humores coagu-
 „lando, dolores, spasmos, obstructions, inflammationes,
 „variaque circuitus, secretionis, excretionis impedimenta,
 „tum in his ipsis, tum consensione etiam in aliis partibus effi-
 „ciunt". Colleant huc, quæ eadem in causa dicit Ill. HOFF-
 „MANN g) alique Auctores gravissimi, quæ omnia colligere
 nec permittunt vires, nec postulat instituti ratio.

§. VIII.

Ubi deficiunt sive tardi sunt menses, ad pellentia remedia,
 eaque potissimum calefacientia, tanquam ad sacram anchoram,
 consu-

c) *Institut. Patbol.* §. 458.

d) *ibid.* §. 329.

e) *Comment. in BOERHAAV, T. III, Part. I. §. 1051. P. 333.*

f) *loc. cit.* §. 476.

g) *loc. cit.* T. II, P. 310.

confugere solent mulierculæ clinicæ; eo scilicet consilio, ut ea, in qua sexus fanitas præsertim posita est, excretio, quocunque demum auxilio excitetur, atque ita vegeta obtineatur valetudo. Ast, si nullum adest in partibus vitium, atque ideo innocens mensium emanatio, siue ut plerumque fit, alte hæret ejus causa, dum scilicet, ut & in nostro casu, inundata mucosæ sanguinis copia ejusdem proximam rationem in se habet. Nec difficile est, ex illis, quæ prælucente Physiologe de arteriarum actione novimus, intelligere, quid mutationis hujus generis remediis in eo statu inducatur. Torpet scilicet vitalis arteriarum vis, nec lentum viscidumque sanguinem, qua decet celeritate movere valet. Subeunt sanguinem aromatica aliave calida pharmaca, atque stimulum naturali majorem addunt arteriis, sanguinis circulum augent, atque quæ inde oriri solent mala produciunt, siue incitato sanguinis fluxu, fortiusque contractis arteriis, majori, quam quæ decebat copia ad uteri regionem pellitur sanguis; implentur arteriæ tanta ejus quantitate, quam præ torpore ibi promovere vix possunt; sic sensim sensimque in toto reliquo vasorum abdominis systemate oriuntur infarctus, atque ita suppressionis exinde augetur pertinacitas. His, quæ dicitur ipsa rei ratio, non leve pondus addunt gravium Auctorum testimonia. "Emmenagoga stricte sic dicta talia sunt medicamenta, quæ circulationem intendunt; ab aucto vero per vasa sanguinis motu, calor nascitur, qui mobilissima dissipat, sed & excretiones copiosiores fiunt, distaturque ita tenuissimum fluidum", verba sunt Ill. VAN SWIETEN *b*). "Num quod virginibus nonnullis sanis alioquin & justum corporis augmentum consecutis", inquit Ill. MORGAGNI *i*), "menstrua annis aliquot postquam plerisque solent proveniant, num inquam, tardiori aliquanto uteri incremento adscribi oportet. Novimus generosissimam virginem, in

C

b) loc. cit.

i) de Sedib. & Caus. Morb. Lib. III, Epist. XLVII, n. 5.

earum quas modo indicavimus numerum referendam, quæ
 nupta antequam menses, annos aliquot expectati, appare-
 rent, fecundissima tamen fuit, utque id minus miraremur,
 eadem prorsus ejus quoque matri contigerant. Nimirum fa-
 tis est (*aurca verba*) quod tunc fecimus, ubi egregie valent,
 expectare & nihil movere, ne operi, quod natura tardius
 aliquanto perficit, moram forte nostris intempestivis auxiliis
 afferamus". Et apposite satis de hac re loquitur Cl. BONZÉ,
 dum dicit: "A pellentibus incongrue adhibitis, menstruo fluxu
 non rite succedente, humores in copia ad partes advehuntur,
 exitu autem ob deficientem dispositionem aut sanguinis lento-
 rem, aut viarum exilitatem, denegato, facile ibidem sta-
 gnant". Facile igitur subscribimus sententiæ Cl. HELWICHII,
 qui "eas quæ illibata fruuntur sanitate, etiamsi ad 20 ætatis
 annum ac diutius, imo per totam vitam lunare tributum non
 perolverint, nullis torquendas esse remediis" asserit. Qui-
 bus vero exinde valetudo læditur, appropriata vitio, quod sa-
 nior indicat Pathologe, remedia sunt propinanda.

§. IX.

Quæ hucusque exposuimus, morbi indolem pessimam ab-
 unde demonstrant, quam sollicitè exquisita præterita, cumque
 symptomatibus, quæ nunc aderant, collata, non obscure de-
 clarabant. Horum potiora quomodo ex ipso morbo, tanquam
 fonte originem duxerint, rimari ordinis ratio postulat. Vo-
 mitum quidem cruentum hystericæ passioni frequenter super-
 venire testis jam est primus Medicinæ Parens HIPPOCRATES
 m), ubi, "Quum uteri" inquit, "ad stomachum, qui nervo-
 sus est, mulieri allapsi fuerint & ad ventrem irruerint, dolet
 spinam & totum dorsum . . . & stomachus mordetur & fla-
 va bilis exit". Nec obscura est rei ratio ex iis, quæ supra de

k) *Diff. de Colica sanguinea* § XXVIII. pag. 27. Argent. 1737.

l) *Hist. Morbor. Vratislaviens. A.* 1702. pag. 64. sq.

m) *Libr. de Morb. Mnl. Scil. V.* edit. VAN DER LINDEN p. 419.

turbato in abdomine sanguinis circulo, in casu nostro obtinente diximus. Stagnat scilicet mucosus sanguis in hujus ventris systemate vasculoso; superveniunt naturæ ad pellendos menses conatus, exagitant sanguinis motum; at obstat uteri flacciditas ejusque arteriarum torpor, quin per eum, quo decebat canalem, transeat lunare tributum; fertur igitur, quo minus resistentiæ est, atque sive per alia colatoria erumpit, sive ad aliud viscus mobile per aberrantem naturam deponitur, sive rumpuntur tenuioris texturæ venæ, quæ ventriculum ambiunt sanguinemque in illud viscus effundunt, quo stimulo excitatur vomitus. Confirmat hoc gravissimo suo testimonio Ill. HOFFMANNUS ²²⁾, ubi "frequentioris" inquit "observationis est, sanguinem qui per uterum eliminari debebat per vomitum, ruptis ventriculi venosis vasis, brevibus dictis, rejectum fuisse"; hinc quoque inordinatus erat mensium fluxus, cum irriti sæpe naturæ conatus vincendæ vasorum uteri resistentiæ impares fuerint. Dolores colicos cui alio adscribes, quam vellicatis, dum naturæ motus recurrebant, per iteratas arteriarum contractiones, nervis infimi ventris, quibus tot anastomoses sunt cum reliquo nervorum systemate, quo effectum est, ut & caput, dorsum, hypochondria sympathice doluerint. Tensum durumque abdomen spasmodicam intestinorum contractionem, qua includebatur aër, istum canalem cum cibus nunquam non permeans satis apte demonstrabant, qui quoque remittente affectu, ex carcere erumpere solebat. Quid mirum, si inordinatis hisce motibus febris supervenit cum omnibus suis symptomatibus? nec ita se habentibus rebus iusta corporis nutritio locum habere potuit. Tandem non alio symptomate magis confirmatur, humorum massam mucosa inertia fuisse affectam, quam muco ex vagina exacerbationis tempore exeunte.

C 2

²²⁾ loc. cit. T. III, Sect. I. Cap. IX. §. 3. p. 188.

§. X.

Mala portendunt omina morbi, ubi longa annorum serie eorum causæ ita invaluerunt, ut altissimas egisse radices videantur; atque idem quoque de nostro morbo prædicendum erat. Diximus nimirum supra, arteriarum infimi ventris adeoque & uteri summum torporem ex una parte proximam ejus effecisse causam, quo factum est, ut sanguine quidem satis repletæ, ei tamen promovendo nequaquam fuerint pares. Ex altera autem parte mucosa humorum inertia atque emmenagogorum perversus usus isti vicio partim præbuit ansam, partim quoque ejus fuit sequela, ita ut data quasi manu alterum alterius promoverit incrementum. Et ex solidarum quidem partium torpore gravi scilicet jamjam per se morbo "in omne genus functionum omnimoda mala redundant; quandoquidem harum
 „nulla est, quæ principii vitalis influxu impune carere possit.
 „Morbi præsertim chronici inde nascuntur valde refractarii,
 „quin insanabiles; quum ob naturæ virium languorem & medicamenta parum valeant" o). Quodsi vero hæc ad arteriarum proprias functiones propius referas, non poterat non tolli æquabilis inter vasa atque humores tenor, vis inferri parietibus insuperabilis, unde dilatatio, reliquaque similia canalium devehentium vitia, sive coalescente cum vasis materie obstruente, coalitus consequi solent; quæ omnia pulchre iterum declarat Ill. GAUBIUS p). Muci vero, quem in sanguine rusticæ nostræ abundasse posuimus, ea est natura, ut reliqua laticis vitalis principia facile sua inficiat tenacitate, eamque aquæ potissimum lubenter inducat, valorum parietibus suo viscore in hærescat, stagnationes, obstructions facile producat. Cum tandem omnis hystericus affectus exacerbationis tempore nervos violenter commoveat, imbecille tandem redditum eorum systema functionibus suis minus in dies redditur aptum. Col-

o) Sermone utor Ill. GAUBII *Instit. Patbol.* §. 199.

p) *l. c.* §. 410. ☞ 41.

ligimus ex his ea, quæ lento quidem pede, sed certo tamen eventu oritura erant in nostro morbo mala, quæ eo potissimum redeunt, ut debilitato omnino partium istarum systemate vasculoso atque nervoso stagnans tandem immobilisque sanguinis massa paulatim in sua principia fuerit secessura, ortisque anastomosi, diæresi, diapedesi, cruore in vasis relicto, reliqua in cellulosam sese effudissent, hinc leucophlegmata, hydrops ægrotæ nostræ certum minabantur interitum, ni sagaci Medentis arte obex istis fuerit positus. Cæterum metastasi quoque aliquando hysterica passionem fuisse sublatam legimus q).

§. XI.

Devolvimur ad illa, quæ in tanta calamitate requirebat Medici officium, ut a dira sua valetudine restitueretur ægra. Ardua res! cum scilicet occumbere jam videtur natura, ita adhibere, ita moderare artis auxilia, ut sensim sensimque reddiviva in propriam salutem agere possit. Hæc ut efficeret Medens, binam sibi præfixisse, ut vocant, indicationem ex morbi Historia elucescit, unam scilicet mitigatoriam, in ipsa morbi exacerbatione, alteram vero, ut radicitus evelleret malum, quem duplicem scopum variis varie inter se mixtis medicamentis adimplere studuit. Mittimus quidem, brevitati studentes, ea quæ partim ad minuendam plethoram, quam hic ad *volumen* rite vocaveris, partim ad sopiendos spasmos præscripta fuere, inter quæ venæsectiones, lenia purgantia, enemata, balnea principem obtinent locum, quippe quorum agendi rationem nemo Medicorum est, qui non noverit; & hæc quidem priori ex asse satisfaciebant scopo r). Descendimus

C 3

q) In *Biga illa Observationum*, quam præterito anno ventilandam proposuit Cl. HÆCKER.

r) conf. Cel. HOFFMANN *loc. cit.*, T. IV, Part. II. Sect. II. Cap. V. §. II, p. 329.

potius ad considerandam binam medendi methodum, quam in usum hic vocatam legimus, priorem scilicet, quæ *Narcotice* tentata fuit incassum; posteriorem deinde, qua summo cum fructu *Resolventia* fuere adhibita. In confesso quidem est omnibus Medicis, multiplicique probatum experientia, quantum valeant narcotica ad compescendos hystericæ affectionis insultus. Indubitato fere cum successu sese ista exhibuisse plurimis in locis testatur Ill. SYDENHAM s), Vir certe auctoritate, si quis alius, plurimum pollens. Commendant ea cæterum præ reliquis, quicumque fere de nostro affectu dixerunt Scriptores t). Sed ea fere ea est conditio medicaminum, quæ vel maxime decantantur, ut scilicet plurimum valeant, aliquoties tamen fallant. Et id quidem hic quoque experti sumus. Verum enimvero si tyroni liceat, suam hic dicere sententiam, rem tetigisse mihi videor. Alia scilicet videtur esse hystericæ passionis species, quæ non nisi in eximia nervosi systematis sensilitate est, quam sine materie rite appellaveris; alia, qua sympathice nervi dolent ob præsentem morbificam materiem, qua afficiuntur. Illa quidem frequens satis anodynorum usu cedere solet, cum in eo consistat horum medicaminum virtus, ut nervorum præposteros motus compescant. Hæc autem, quæ nostræ considerationis est, cur ad illa remedia rebellis fuerit, quis est qui non perspiciat, si perpendere velit intacta morbi causa, non nisi leniendis doloribus fuisse apta? Quare quoque minus proficientibus his ad resolventia valentiora transitus factus est. Scilicet, quæ spissiorum tenacioremque materiam attenuare solent medicamenta, ita appellari consueverunt, interque ea gummata, saponos reliquaque, quæ supra indicavimus, ex antesignanis sunt. Inest præterea hisce lenis aliquis stimulus, revocando arteriarum tono satis aptus. Hæc itaque in usum vocata, attenuato nimio sanguinis muco, ar-

s) loc. supra cit. nec non in *Diff. Epist.* atque in *Processibus integris.*

t) *Cel. ASTRUC Malad. des Femmes* T. I. Ill. SAUVAGES l. c. aliique.

teriusque in plenum suum vigorem restituitis, iustum & resti-
tuerunt inter vasa atque fluida æquilibrium, atque postquam
lenibus purgantibus educta fuerunt, quæ resolventia ad id dis-
posuerant, quantum reliquæ permittebant naturæ vires, sani-
tati reddita est ægrota.



THESES VARIJ ARGUMENTI.

I.

Theoriam inflammationis omnem recentiorum, quæ non ab errore loci inducitur, rejicimus, cum nulla sit in ea consideratio roboris vasorum vitalis.

II.

Doctrina tubulorum capillarum ad explicandum sanguinis ex arteriis in venas transitum nullam affert lucem.

III.

Quid est somnus? an collapsus fistularum nervearum? Sed si nullæ sunt fistulæ? an igitur requies nervorum ad functiones animales facientium? sed cur pergunt nervi partium vitalium? an a solo perpetuo stimulo? non videtur, cum permanens in nervis partium animæ subjectarum stimulus perpetuam in eis actionem, nisi corpus destruat, efficere non valeat.

IV.

Liquoris anodyni mineralis *Hoffmanni* usum in omnibus inflammatoriis morbis recte dissuadere nobis videmur.

V.

Nulla fit in curatione vulnorum, ubi deperditio substantiæ obtinet hujus regeneratio; etenim organicam partem destructam iterum creare non novit natura.

VI.

Labii leporini curatio perperam hucusque futuris tentata fuit, hinc recte eas rejicere videtur nuperus magna autoritate pollens Autor.



Strassburg, Med. Diss., 17. Nagel-
Mische

X 241 8713

W 17





B. C. D. 6
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
COLICÆ HYSTERICÆ
CASUM
CUM SUA EPICRISI

QUAM
GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS
JUSSU

PRO LICENTIA

*SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
SUSCIPIENDI*

SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIET

DIE IX. MARTII MDCCLXIX.

FRANCISCUS ALEXANDER NEUHAUS
BIENNA - HELVETUS.

H. L. Q. C.



ARGENTORATI

Excudebat JOH. HENRICUS HEITZ Universitatis Typogr.